

00

kt

S. C. 132

vgl an Id 2087

theol.

IV. C. 3.

i 10
DE
CAIPHA PROPHE TAM
SIMVL ANTE

AD IO. XI, 49 — 52.

S E C T I O III.

EAQVE VLTIMA

QVAM

O R A T I O N I

EX LEGE

SERENISSIMAE FAMILIAE

SCHOENAICHIANAE

D. XII. IVLII HORA XI. MATVTINA

HABENDAE

PRAEFATVR

ABRAH. PHILIPPVS GOTHOFREDVS SCHICKEDANZ


V. D. M. FRIDERICIANI RECTOR.



FRANCOFVRTI AD VIADRV M,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.

DE
CARPHA PROPHETAM
SIMVLANTE

AD IO. XI. 42-52.



SECTIO III.

EAQVE VLTIMA

GVAM

ORATIONI

EX REGE

SERENISSIMAE FAMILIAE

SCHOENALCHIANAE

D. XII. IULII HORA XI. MATVTINA

HABEBIT

HAEREDIT

ABRAH. PHILIPPVS GOTTFREDDVS SCHICKELDAN

V. D. M. THEOPHILAN RECTOR.



FRANCOFRTI AD VIADRVM
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

Quo sensu Caiphas *προφήτευσε*? Canon quidam GLASSII huc applicatur §. I-II. Quomodo ille prophetam simulare poterit, inquiritur §. III. Dicta v. 51 et 52. exponuntur. De Israelitis di-

spersis eorumque congregatione §. IV-V. Caipham sistere voluisse Christum Messiam trucidandum, demonstratur §. VI-VII. Hinc eius dictio explicatur §. VIII.

§. I.

Quem Doctissimi Viri Caiphae verbis adfingere solent sensum, plurimis difficultatibus vrgeri, in superiori commentatione ostendimus. Etsi enim non ii sumus, qui eam leuitatem, qua non pauci vaticinia de Servatoris Optimi morte tantum non omnia expungere conantur, probandam esse existimemus: impetrare tamen a nobis non potuimus, vt oraculum divinum ei loco inesse arbitraremur, cuius recepta explicatio falsa, vel, vt leuissime dicamus, dubia est. Sed ne ipse quidem Ioannes *ἐπι κρήσει* sua tale quid innuisse censendus est. Nam quo sensu sermonem Caiphae intellexerit, intelligendumque esse velit, luculenter fati declarat, vbi illum adfirmat *συμβουλευσαι τοις ιουδαίσις*, quod dicunt, consilium dedisse, Io. XVIII, 14. Quum ergo in isto loco Caiphas consilium dedisse fertur, qui modo *προφήτης* audiebat: non inani adsequor coniectura, hac facta verborum substitutione, *τὸ προφήτευσεν* non per *verum vaticinium edere* explicandum esse. Alium ei tribuamus sensum. Qualem? videbimus.

§. II.

In eo autem definiendo duumviri eruditissimi, quos iam antesignanos sequimur, rectissimam nobis demonstrasse videntur, GUSSETIVM putamus et HEVMANNVM. Quorum vterque, ille in *lexico hebraico* p. 491. hic in egregio illo libro iam saepius nobis citato *τὸ προφήτευσεν* per *simulare afflatum propheticum* interpretati sunt. Id enim certum est, extraque omnem dubitationis aleam positum, verbum, in cuius potestatem iam inquirimus, vel de iis, qui diuino spiritu tactos se temere iactauerint, non raro a sacris scriptoribus vsurpari. Cuius generis loca adduxit HEVMANNVS, quibus frequentia adiciere placet: 1 Reg. XVIII, 29. Ier. II, 8. V, 31. XIII, 14. 15. XXIII, 13. 25. 26. XXVII, 14. XXVIII, 8. 9. XXXVII, 19.

Ezech. XIII, 8. 16. Zach. XIII, 3. Quod vero interpretum adeo mul-
 ti verbum illud de vero vaticinio hic acceperint, eam in sententiam
 ducti esse deceptique videntur per ista Evangelistae verba: τὸτο δὲ
 ἀφ' αὐτοῦ ἐν εἰπεν. En quid sibi velit προφητεύει! Scilicet, non a
 se sibi que relictum suam proferre sententiam, sed ab ipso numine
 diuino excitatum. At esse, quum in scriptis humanis, tum maxime
 diuinis vocabula multa, quæ, quum propriam actionem aut efficien-
 tiam indicent, lenius sint capienda, quis est, qui nesciat? Quem can-
 onem igitur GLASSIVS attulit, allatumque exemplis probauit, a)
 quem iam alii huc aduocarunt, b) quid obstat, quo minus et nos ipsi
 eundem in subsidium aduocemus? verba nimirum, quæ esse vel facere
 significant, aliquando pro rei opinione ponuntur, et intelligenda sunt
 φωνηέντως, putatiue. Qua obseruatione innixi, verbum εἶπε reddi-
 mus per dicere se finxit, eundemque in modum προφητεύει per vati-
 cinari se simulauit interpretamur. Atque ita nihil superesse difficulta-
 tum, sed omnia expeditiora fore crediderimus, si Evangelistae ser-
 moni hicce fere sensus tribuatur: Caiphas hoc a se dicere voluit non vi-
 deri, vt ceteri senatores, qui suam modo sententiam ferebant, sed quoni-
 am summus erat sacerdos, quem Iudæi credunt oracula edere diuina, si-
 mul speciem prae se tulit viri, afflatu diuino praediti diuinoque instinctu
 vaticinantis.

a) In Philolog. S. Lib. III. Tract. III. can. 18.

b) VTHEVMANNVS in explicatione N. T. ad b. l. p. 616. et FROMMANNVS
 in opusculis philologicis p. 141. At canonem huncce GLASSII paullo aliter ad
 nostrum locum explicandum conuerterunt. Ille enim, vt supra diximus, τὸ
 προφητεύειν de simulatione vaticinii interpretatur quidem, eandem tamen
 vocem simul de vaticinio proprie dicto intelligendam esse autumat, propterea
 quod, quæ Caiphas tamquam inuitus dixerit et in seius, vere euenerint. Quo
 fit, vt verbi illius sensum tali modo exprimat: „fuit quidem Caiphas vates ex
 inani, qua de se intrumuit, persuasione; sed, quod verba eius alio quodam
 sensu veritati optime respondent, simul vaticinium verum protulisse adfirma-
 tur.“ Enimvero, fatebimur equidem, haecce verbi προφητεύειν repetitio,
 et ea quidem in diuersa significatione, adfectata nimis, ne dicamus dura, vide-
 tur. In qua quidem duritate lenienda anxie distortetur VTHEVMANNVS, di-
 logiam adsumere coactus; verum enim vero huius figurae exempla, quæ pas-
 sim apud scriptores profanos sacrosque occurrunt, quorum et ipse quaedam ad
 Luc. XIX, 44. profert, minime huic nostro esse loco accommodata, nemo
 non vider. Non ita applicuit canonem dictum GLASSII celeb. FROMMAN-
 NVS, qui verba Ioannis non de eo, quod ve vera fecerit Caiphas, sed quod facere
 fuerit visus, intelligens, totius ἐπιπίσεως hunc esse sensum vult: „Caipham
 tam apte et accommodata hac in re locutum esse, vt parum absit, quin dicas,
 non ex se ipso verba haec illum protulisse, sed tamquam pontificem M. a quo,
 si ab vlllo alio, expectari eiusmodi quid potuerit, esse vaticinatum; optime
 enim verba haec in Christum, qui pro hominum salute mortem subire debue-
 rit,

rit, conuenire.“ Commendabit se multis, opinamur, haec paraphrasis, est enim ingeniosa admodum et acuta, sed, quod pace doctissimi viri dixerimus, verba Ioannis: ἀρχιερεὺς ἂν τὸ ἐναντὶς ἐκείνῳ multum, si ita interpretaris, de sua vi amittere, temereque addita ab Euangelista esse, putaremus. Is quoque tum, pontificis maximi proprium illo adhuc tempore fuisse, oracula fundere adfirmasset. Id si vero Ioannes non pro certo posuerit, (cuius quoque sententiae est vir laudatus) profecto parum abest, quin ἐπιρρησις haecce merus ingenii lusus habenda sit.

§. III.

Fuit olim summi sacerdotis, in dubiis trepidisque rebus, quid faciendum, quidue omittendum esset, consulti, oracula fundere, et, quid futurum sit, praedicere; quo scilicet prae reliquis sacerdotibus a Deo tactatus perhibetur honore, *Exod. XXVIII, 30. Lev. VIII, 8. Num. XXVII, 19. seq.* Inde quod beneficio Vrim et Thummim responsum dederat, pro oraculo habebatur diuino 1 *Sam. XXII, 11-13. XXIII, 10. sqq. XXX, 7. sqq.* Ex eadem causa David, Rex Israelitarum, incertus animi, an aduersus Philistaeos proeliandum sibi esset, Deum, quae ipsius esset sententia, rogasse responsumque ab eo tulisse commemoratur 2 *Sam. V, 19* IOSEPHVS autem historicus prodit, Regem modo Pontificem consultum adiiisse, a quo, quum prosper pugnae euentus praedictus fuisset, illum in martia bella exacutum extitisse superiorem, *Ant. Iud. L. VII. C. III.* Qualia quidem oracula num templo secundo stante edita adhuc fuerint, certant Theologi, et adhuc sub iudice lis est. (a) Horum enim nihil in sacro codice perspicere, vel armato oculo, licet. At, ne quid dissimulemus, IOSEPHVS, plurimus in suae gentis honorem, oraculum hocce etiam longe post exstructum templum secundum sua reddidisse responsa perhibet. Nec pauca eorum producit exempla, qui futura praedixerint atque diuinauerint, vt Iaddi pontificis *Antiq. L. XI. C. VIII.* Menahemi Esseni *L. XV. C. X.* Pollionis cuiusdam, aut, si mauis, Sameae, Pharisaeorum asseclae *L. XV. C. I.* Iudae, quem Esseni in partibus habebant *L. XIII. C. XI.* denique Ioannis Hircani, Iudaeae gentis principis, eiusdemque pontificis *L. XIII. C. X. de bello Iud. L. I. C. II.* Hac arte diuinandi, et quasi ex tripode fortes edendi, Essenorum bene multos, nec non, qui Pharisaeorum sectae nomen dederint, instructos fuisse, commemorat idem auctor *Ant. L. XV. C. X. de B. I. L. II. C. VIII. et Ant. Iud. L. XVII. C. II.* Ex quo non id quidem, quod VITRINGA, (b) SCHOETTGENIVS, (c) alii, collegerim, Pontificem M. illo tempore oracula vere diuina fudisse; id autem iure mihi videor suspicaturus, Iudaeos, pro suo studio, pontificum auctoritatem amplificandi, talem imbibisse opinionem, illos ipsos

ipfos qualicumque futura augurandi vi pollere vel ea tempestate. d) Hac suae gentis credulitate fretus, Caiphas poterat vatem agere, idque tribulibus suis iisdemque sociis, si tantum non omnibus, certe quibusdam persuadere. Hinc a vero non prorsus aberrabimus, si addita verba Euangelistae: *ὁν ἀρχιερεὺς τῆ ἐκκλησίας ἐκεῖνος*, ad credulam, quae tum temporis erat gentis iudaicae de pontifice communis, opinionem collineare atque eam ipsam prodere crediderimus. (e)

- a) De aetate, qua oraculum illud situerit, consulendus est SPENCERVS in libro omnigenae eruditionis referto, de legibus Hebraeorum ritualibus L. III. C. VII. Diff. VII.
- b) In observ. S. L. VI.
- c) In lexico graeco p. m. 576.
- d) Conf. quae PAVLSENVS in libro, quem inscripsit: *Regierung der Morgenländer* §. 21. p. 101. rectissime autumare videtur, Iudaeos, adfirmans, opinione, gentibus orientis communi, imbutos, quod ipsorum reges et magistratus rerum occultarum cognitione multum excellenter, idem quoque de pontifice summo, quod personam regis indueret, sensisse.
- e) Non possumus nobis temperare, quin pace HEVMANNI errorem, quem errauit, castigemus, utpote qui credit, Caipham in Synedrio, quod tum celebrabatur, veste usum esse pontificali. At oblitus est acutus ille vir, certe perpendere debuisset, pontificis ornatum ea tempestate in arce Antonia depositum fuisse. Vnde depromptus singulis quibusque annis plus quarta vice non exhibebatur, nimirum quando tribus illis diebus maxime sollempnibus, dieque ieiunii, quam diem expiationum vocant, pontifici summo res diuina facienda erat. Testis nobis est IOSEPHVS *Ant. Iud.* L. XV. C. XI. §. 4. item L. XVIII. C. IV. §. 3.

§. III.

His expositis, quae legimus v. 51. et 52. iam explananda superfunt. Dixerat Caiphas, se consultius putare, vnum pro populo deuoueri, quam populum, ut vnus seruetur, exitio tradi. Quod consilium ut magis ponderis haberet, simulauit ille, se a numine abreptum, quantum ad vniuersam gentem ex Christi morte commodi redundaturum sit, vaticinari. Namque canebat, Iesum esse pro populo moriturum, immo futurum esse, ut illo interemto, dissipati Dei filii in vnum congregentur. Duplex itaque erat fructus, quem Caiphas ex morte Christi futura augurari sibi visus est; alter conseruatio iudaicae gentis, alter filiorum Dei congregatio. Priori non est quod immoremur, quum sermo Caiphae, et quae a nobis disputata iam sunt (diff. II. §. III.) satis demonstrant, quomodo Iesu sublato gens iudaica salua foret atque incolumis. Quid vero sibi velint filii Dei dispersi, quae ratione in vnum coetum colligendi sint, alia quaestio videtur. De qua quaestione ut eo accuratius disseramus, primo, quid sentiamus, breuiter exponemus, deinde vero, si quis quaerat, qui Caiphas

Caiphas tantum vtilitatis esse ab vnus morte expectandum arbitrat
tus sit, illud ζήτημα, quantum possumus, persoluemus.

§. V.

Ac nostra quidem sententia per Dei filios dispersos intelli-
gendi sunt Iudaei quaque versum disseminati, ceterisque populis im-
mitti. In sacris litteris nomine veniunt τῆς διασπορᾶς τῶν ἑλλήνων
Io. VII, 35. et τῶν Φυλῶν τῶν ἐν τῇ διασπορᾷ Iac I, 1. lidem PHILO-
NI audiunt σποράδες ἐν Ἑλλάδι καὶ βαρβαρῶν κατὰ νῆσους καὶ κατὰ
ἡπείρου. a) Quod vero Iudaei Dei filiorum nomine insigniri solebant,
huius appellationis ratio in eo quaerenda esse videtur, quod erant
populus, quem sibi ipse Deus elegerit, cui quasi in sortem assignati
erant. Iudaeos nomine hoc insigni exornat Artaxerxes, rex Persarum,
in additionibus ad *Estherem* cap. XVI, 16. Erat vero Iudaeis
quam maxime in votis, vt, quicumque ipsorum religioni nomen
darent, vbiicumque terrarum degerent, in vnum aliquando coetum
coalescerent. Haec spes iam tenuit PHILONEM. Memorabilem
locum, quo Iudaeorum auctor hanc spem testatus est, notasse iuuat.
Hinc videre licebit, quae veteris Iudaeorum synagogae de sua
gente inter varias nationes huc illuc dispersa fuerit sententia, ad
quam sententiam Caiphas prouocasse censendus est. *Etiamsi*, auctor
noster ait, *in extremis oris terrae seruientes eis, a quibus captiui abdu-
cti sunt, velut vno edicto vna die liberabuntur omnes: eorum ad virtutem
conuersione vnanimi terrorem dominis incutiente.* — Tum vero potius
hac inexpectata libertate, qui antea dispersi fuerant per Graeciae Bar-
bariaeque continentes et insulas, vno impetu adsurgentes, ad vnum omnes,
alii aliunde, deducti a quodam spectro, natura humana diuiniore, (Ἐπει-
γόμενοι πρὸς τὴν δευτέραν ἢ κατὰ φύσιν ἀνθρωπίνης ὁ Θεός) ceterorum
quidem nemini, sed solis seruandis conspicuo. Regressis vero condentur
rursus ciuitates nuper vastatae, et coletur deserta regio, et terra prius
ad sterilitatem redacta fiet denuo fertilis. Patrum quoque et maiorum fe-
licitates nihili reputabuntur, collatae ad praesentes copias, quae velut e
perenni gratiarum Dei fonte manantes, omnibus priuatim publiceque di-
uicias adferent, inuidia maiores. Erit vero repentina rerum cunctarum
mutatio: aueriet enim Deus diras in hostes respicientium, qui calamita-
tibus gentis laetati fuerant, cauillantes illudentesque conuiciis, quasi ipsi
interminabile felicitatis tempus habituri, eamque liberis successione tradi-
turi et posteris; aduersarios vero semper visuri in miseria continua et im-
mobili duratura vsque ad ipsorum progeniem b) Eandem spem disper-
sorum Iudaeorum in vnum olim colligendorum habuit SYRACIDES.
Hinc preces illae flagrantissimae, quas pro redimendis Israelitis ad
Deum fudit cap. XXXVI. *Miserere nostri, domine Deus omnium et
respice.*

respice. Congrega omnes tribus Iacob et heredita eos, sicut ab initio. Miserere populi, Domine, vocati de nomine tuo et Israelis, quem primogenito comparasti. Eiusmodi precibus Iudaei adhuc collectionem suae gentis dispersae sibi expetunt: *salua nos, Deus nostrae salutis, congrega nos, et ex gentibus libera nos.* c.) Hanc Israelitarum collectionem, hanc tribuum restitutionem maximum Messiae opus credunt, adumbratum ab Ezechiele cap. XXXVII. multisque veterum vaticiniis praedictum. Ex his, quae disseruimus, pronò iam aluèò fuit sententia Caiphæ. Fore nimirum, vt tribus Israeliticae, Christo occiso, congregentur, quin vaticinari Caiphæ voluerit, nullum nobis dubium est. Quam quidem sententiam aliis examinandam relinquimus.

a) de execrationibus, ed. Mangey Tom. II. p. 435. Testimonia de Iudaeorum per orbem dispersione ex Iosepho et Philone collegit celeb. Frommannus in *opusculis philol.* p. 471. sqq. quibus testimonis locus, quem modo ex PHILONE dedimus, adnumerandus est.

b) I. c. Celeb. Michaelis Vir doctiss. in *bibliotheca sua orientali et exeget.* P. IV. vbi Danielis secundum septuaginta censuram egit, obseruauit $\tau\epsilon\varsigma\ \delta'$ vertisse דָּנִיֵּל Dan. XII. 2. per דִּיֹּסְטוֹרָא . Inde, quo mentis acumine praeditus est, coniecturam fecit, translatore graecos in ea opinione fuisse, impios, post mortuorum reditum in vitam, aeternum passuros esse exitum, pios vero in Palaestina beatissimam vitam peracturos. Sententiae doctissimi Viri non nihil lucis accendere poterit locus Philonis, dignus nobis visus, quem alia occasione dedita opera exponamus.

c) In *Tephillorb* fol. 44. col. 2. vid. GLAESENERVS in *commentatione de gemino Iudaeorum Messia* p. 167.

§. VI.

At si quidpiam adhuc videre possumus, id nobis statuendum esse videtur, Caiphæ sermonem sententiam quamdam de Messia proferre, ei similem, quam de Messia, filio Iosephi occidendo confinxerunt Rabbinì. Talem Messiam sistere iam voluit Christum, quem propterea neci tradendum esse duxit Caiphæ. Quae coniectura ne sua luce careat, ne nubem pro Iunone amplectamur, obseruandum est primo, Iudaeos Seruatorem nostrum Samaritanorum affectam credidisse. Ita quondam apud Ioannem VIII, 48. *Nonne bene dicimus, Samaritam te esse et daemonem habere?* Samaritanorum nomine, quo nomine inter Iudaeos maximum continebatur conuicium, vel propterea notabant Seruatorem, quod Samaritanis fauere visus est. Nulla enim familiaritate, nullo commercio et vsu Iudaeis cum Samaritanis intercedente, non dubitauit Seruator versari cum Iudaeis maxime inuisa gente, quam illi stultam esse et fatuam, (Syrac cap. L, 27. 28.) quam spurcissimos colere daemones cauillabantur. Huic genti aliquoties palmam dederat Seruator. Legis peritum quemdam humanitatis officia docturus, non sacerdotem, non Leuitam, sed Samaritanum,

maritanum, hominem Iudaeis inuisum, imitandum proposuit exemplar Luc. X. Ex decem illis viris, qui vitiligine laborabant, quos abeuntes Optimus Seruator sanitati restituerat, praeter vnum nemo inuentus esse legitur, quem aut magnitudo beneficii, aut miraculum, quo illius particeps factus fuerat, ab itinere reuocaret, ad suum conseruatorem laudibus gratibusque venerandum. Vnus hic quasi digitis nobis monstratur: καὶ αὐτὸς ἦν Σαμαρείτης Luc. XVII, 16. Samaritanos, mox ipsius sermonibus fidem habituros, elogiis ornavit Seruator, comparans eos campo, qui iam maturis albescit aristas Io. IV. 35. contra Iudaeos, quod ne miraculis quidem editis crederent, quoties vituperavit? Huc accedit summa pietas, atque vt vere dicamus, superstitiosa, qua templum Hierosolymitanum prosequiebantur Iudaei. *Aegre ferebant, sunt verba IOSEPHI Ant. Iud. L. XIII. C. III. §. 4. si quis templi adeo antiqui et toto terrarum orbe celeberrimi, auctoritatem labefactum ibat. Praeslantior, inquit PHILO, (ritibus nempe patriis, quorum tenacissimos esse Iudaeos dixerat) et magis eximia est Iudaeis uniuersis templi reuerentia: vel hoc argumento, quod certissima mors proponitur ultra septem interius penetrantibus non gentilibus. Nam intra exterius recipiunt undecumque venientes, a) Vnum petimus, sic simplex senatus Petronio, quem Caius Caesar ipsius effigiem in templo collocare iusserat, ne quid in templo nouum fiat, vique seruetur tale, quale a maioribus nobis est traditum. Id si non impetramus, necandus nos praebemus, ne videamus superstitibus mala morte grauiora b) Quid vero Seruator? domus vestra, inquit, vobis relinquetur deserta. Match. XXIII, 38. c) Qui vaticinia saeva contra templum Hierosolymitanum proferebat, qui locum Dei sanctum destructum iri diuinabat: is religionis veritatem penes Iudaeos esse negabat, is putabatur templum Garizitanum magis reuereri, is igitur ex sententia Iudaeorum erat Samaritanus. Obseruandum est porro, Samaritanos iam tempore Seruatoris suum sibi arrogasse Messiam, ex ipsis oriundum. Σωτήρος enim aduenturi spem fouisse historia, a Ioanne capite quarto relata, perspicue docet. Immo plerisque Iudaeorum, his licet Dei oracula credita fuerint, paullo rectius sensisse Samariam incolentes, nihil impedit, quo minus credatur. Talem enim futurum sperabant, qualem iam cecinerat Moses Deut. XVIII, 15. adnunciaturum scilicet, quaecumque ad Deum rite colendum spectent, non igitur regem terrestrem, sed prophetam ipsis audiendum. d) Ita mulier Samaritica ad Iesum: Οἶδα ὅτι Μεσσίας ἐρχεται ὁ λεγόμενος Χριστός, ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος, ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα. Hunc vero doctorem eundemque cultus diuini reformatorem Samaritani non ex Iudaeis, sed ex semet ipsis genus ducturum praestolati sunt. Nam quum mutuo, plus quam*

quam vatiniano, odio inter se flaglaret vtraque gens recutita, pro suis quaeque aris atque focis depugnans: num credas, Samaritanos, velut in Iudaeorum gratiam, ex prosapia Iudae nasciturum redemptorem sibi persuasum habuisse? Ego non? Samaritanis propterea Iesus crimini dedit, quod, quae nescirent, adorarent. Quare? Ignorabant veritatem: ἡ σωτηρία ἐκ τῶν ἰουδαίων ἐστίν. Io. IV, 22. Σωτηρίαν igitur, siue Messiam (abstractis enim verbis saepe vtuntur scriptores pro concretis) non ex Iudaeorum gente, sed aliunde nascendum putare. Vnde vero? Certe ex Iosepho, ex tribu Ephraim, hoc enim se sanguine cretos et iactitant, et iactitarunt olim. e) Sed ne alterius scrinia compilasse videamur, lectores nostros ad *exercitationes philologicae* Viri summe Venerandi atque doctissimi SCHVLZE ablegamus, vbi in diss. de *ononychoto christianis afficto* Samaritanorum proprium Messiam fufius demonstratum reperient. Quem igitur Samaritani suum fore Messiam sperabant, erat filius Iosephi, siue Ephraimi, quem vero Iudaei, Davidis. f)

a) de *legatione ad Caium*, operum T. II. p. 577.

b) l. c. p. 580.

e) Per domum intelligendum esse templum subsequencia docent. Egressum templo accesserunt Iesum discipuli, superba aedificia tantae molis offensuri, cap. XXIV. I. Nempe mirum iis videbatur, templum instar arcis, immensae opulentiae in soliditatem vertendum esse. Immo vero, inquit, ne lapis quidem relinquatur super lapidem, qui non destruat.

d) Samaritanos in primis ex hocce Mosis vaticinio suam de adventuro Messiae sententiam hausisse, auctor nobis est Vir supra laudatus SCHVLZE. Vid programma, quod titulum gerit, propheta Mosis par §. 3.

e) Conf. IOSEPHVS A. I. L. IX. C. XIV. §. 3. L. XI. C. VIII. §. 6.

f) En femina iam aevo Seruatoris nostri sparsa fabulae illius, quam de duplici Messia commenti sunt Rabbinii! in quo figmento iudaico excutiendo plurimus est GLAESNERVS in commentatione iam laudata.

§ VII.

Conferenda hisce simul sunt, quae Iudaeorum doctores de Messia illo, quem perhibent filium *Iosephi* aut *Ephraimi*, nugantur. Duo enim sibi fingunt Messias, alterum Iosephi, siue Ephraimi filium, Davidis nepotem, alterum. Ille ex tribu Ephraim, seu stirpe Iosephi oriundus est, hic vero suum genus ex Davidis posteris, ex Iehudae prosapia ducturus. Illi quidquid humilitatis in sacro codice de Messia praedicatur, adsignant, de quo trucidando illustre illud vaticinium *Zach. XII, 10.* exponunt; (a) huic vni, quidquid gloriae magnitudinisque de Messia dicitur in scriptis diuinis, tribuunt. Illum sibi miserum, squalidum, omnium rerum egenum, lepra infectum fingunt, hunc omnium, qui sunt, fuerunt, erunt, praestantissimum, de quo dictum *Pf. XXXV, 3.* explicant. Illum propterea nec magno pere


pere desiderant verpi, nec magni aestimare videntur; hunc longe plurimis praerogatiuis anteponunt. Messiam, filium Iosephi, fuerunt, qui iam quondam in vita fuisse somniarent, eundem vero propter peccata generationis pravae e numero viuorum exturbatum. Duo isti Messiae, Iudaeorum opinione, sunt duo liberatores, Israellem liberaturi, similes Mose et Aaron. Illi sunt duae alae, quarum remigio Iudaei ex captiuitate sua euolabunt. Liberationis huius opus incipiet Messias Ben Ephraim, inceptum absoluet Ben David. Filius Iosephi, fabula recutorum fert, caput Ephraimitarum, siue Israelitarum erit. Apparebit in Galilaea, dispersi Israelis, decem istae tribus ad ipsum congregabuntur, has tribus instar ducis adducet contra Gog et Magog, sed nondum confecto bello, proprietatibus vitalibus destitutus occumbet. *b*) Quo caeso, Messiam Ben David subuenturum nugantur, eo duce futurum esse, sperant, vt reliquae tribus, Iuda et Beniamin, cum filiis Israelis se coniungant. Tum vero defuncto Messia Ben Ioseph a morte excitato, profligatis gentibus, composito bello, Ben David omnia in pristinam restituet dignitatem, regni que istis duobus, Iudae scilicet et Israelis, in vnum denuo redactis in omnem aeternitatem dominabitur. Loca ex Rabinorum scriptis dabant EISENMEGERVS in *iud. det.* P. II, C. XIII. et GLAESENERVS in libro cit.

- a*) Et lugebit orbis etc. Luctus iste cur fiet? Disputant de eo R. Dusa et Doctores. Altera pars dicit, ob Messiam, filium Iosephi, qui occidendus; altera de figmento malo, quod occidendum. Pax vero illi, qui de Messia, filio Iosephi occidendo accipit. Hoc enim est, quod scriptum, et respicient ad me, quem transfixerunt et lugebunt eum, tamquam filium vnicum. In tractatu Succa Pol. 52. col. 1.
- b*) R. Ieschai in libro שני לירוחת הברית ita hanc rem exposuit: Messias filius Iosephi non veniet sui commodi causa, sed propter Messiam, filium Davidis, quoniam tradet animam suam, eamque effundet in mortem, sanguis eius expiabit populum Dei.

§. VIII.

Hem! Quanta similitudo inter Rabinorum nugas de Messia, Iosephi filio, et Caiphae oraculum fictum! quam pulchre verba conueniunt, vt taceamus, multa, quae de Messia illo rradunt Hebraei, non prorsus abludere ab iis, quae de Seruatore nostro dicuntur. Penes te iam iudicium esto, beneuole lector. Confer, si placet, quae ex PHILONE notauimus §. V. et videbis, qualem disperforum Israelis liberationem atque collectionem iam aeuo Seruatoris nostri praestolati fuerint Iudaei. Considera, quaeso, Caipham, pontificis auctoritate fultum, agere vatem voluisse. Nec id silentio praetereundum est, quod proferre incredibile videatur, Iudaeorum proceres non aliam, quam quae homini plebeio debeatur, Seruatori tribuisse au-

et oritatem. Toties Seruatoris operum factorumque illustrium spectatores et testes constituti, tot tantorumque miraculorum, oculis suis subiectorum, neque magnitudinem, neque veritatem umquam negauerunt; quem potius multa numero signa edere, ipsi confessi sunt Io. XI. 47. Quando ipsius res gestas conspiciebant, sermonesque audiebant, tum aqua iis haerebat. Tantum signa sua et miracula daemone opè patrare Iesum, calumniabantur. Daemonem habere, criminabantur, quasi vero, ex hypothesi sua, qua omnia daemonum plena opinati sunt, spiritus alicuius maligni sensu calescens loqueretur ageretque. Vniuersum Synedrium causa Seruatoris Optimi suspensum tenebat. Alii eum e medio tollendum, alii, qui verebantur plebem, spiritum ei prorogandum esse censebant. Socios suos adeo fluctuare diutius non passus est Caiphas. Fac, illum diuinantis speciem induisse, Iesum esse Messiam illum trucidandum, quanta tum lux ipsius sermone adfunderetur! Totam eius dissoniam iam perlustremus. „Qui timor? Quae dubitatio? Quanta haesitatio apud vos, focii? Ego vero, inquit, qui saluti rei publicae consultum volo, per quem Deus oracula pandit, omnino Iesum morte delendum esse censeo, iubeo, volo. Nam iste est Messias ille Iosephi filius, qui trucidandus traditur, cuius sanguis Dei populum expiabit, et per quem dissipati Dei filii, Israelitae in vnum gregem compellentur. En fructus, quos respublica nostra ex illius morte captura est.“ En vim sermonis Caiphae, qui iam nobis, quum sic occasio ferret, explicandus erat.




Commentationi nostrae imposto fine, indicanda iam est oratio, d. XII. Iulii habenda, qua, Lycei Fridericiani natalem renouanturi, de cultu Dei in orbe primaeuo haud quidem neglecto, at non plus iusto extollendo pauca dicemus. Quam ut orationem beneuole audire velint, Magnificum Academiae Rectorem, Spectatissimos Scholae Curatores, pie colendos, vtriusque ciuitatis Proceres, generosos et nobilissimos Academiae ciues, et quotquot in hac vrbe litteris fauent, Musisque nostris bene cupiunt, singulos ea, qua par est, obseruantia inuitamus. Scr. Francofurti ad Viadrum pridie calendarum Iulii MDCCCLXXIII.


~~155556~~

AB 155 556

X2613330

l





DE
PROPHETAM
VLANTE

IO. XI, 49 — 52.
 * * * * *

C T I O III.
 QVE VLTIMA

QVAM
 T I O N I

EX LEGE
 SIMAE FAMILIAE
A I C H I A N A E

I H O R A X I. M A T V T I N A
 H A B E N D A E

P R A E F A T V R
 G O T H O F R E D V S S C H I C K E D A N Z
 F R I D E R I C I A N I R E C T O R.



ca 1783

V R T I A D V I A D R V M,
 S C H R I S T I A N I W I N T E R I.

